





42. 1718. 20  
DISSERTATIO MEDICA  
DE  
DIÆTETICA  
SACRÆ SCRIPTU-  
RÆ MEDICINA,

QUAM  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
**DOMINO CAROLO,**  
BORUSSIÆ PRINCIPE, MARCHIONE BRAN-  
DENBURGICO, CETERA

SUB PRÆSIDIO,  
**DN. FRIDERICI HOFFMANNI,**  
COLLEGII MEDICI h. t. DECANI,  
publico Eruditorum examini submittit  
AUCTOR ET RESPONDENS,  
**CHRISTIAN GOTTLIEB TROPPANNERGER,**  
DRESD. MISN.

Ad diem

An. M DCCXIX.

---

HALÆ MAGDEBURGICÆ,  
Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typ.

25  
DIESE BIBLIOTHEK WAR IN  
DIESEN TÄGEN GEÖFFNET  
VON 8 UHR MORGENS BIS  
20 UHR ABENDS.  
DIESE BIBLIOTHEK WIRD  
VON 8 UHR MORGENS BIS  
20 UHR ABENDS GEÖFFNET.  
DIESE BIBLIOTHEK WIRD  
VON 8 UHR MORGENS BIS  
20 UHR ABENDS GEÖFFNET.  
DIESE BIBLIOTHEK WIRD  
VON 8 UHR MORGENS BIS  
20 UHR ABENDS GEÖFFNET.  
DIESE BIBLIOTHEK WIRD  
VON 8 UHR MORGENS BIS  
20 UHR ABENDS GEÖFFNET.



DISSERTATIO  
DE  
DIÆTETICA SACRÆ SCRIP-  
PTURÆ MEDICINA.  
PROOEMIUM.



Ihil præstabilius in universo terrarum orbe esse, quam sanitate integra vitaque longeva frui, extra omnem dubitationis aleam est positum. Excedit enim vita & sanitas omnium rerum terrenarum pretium, & maxima pars felicitatis humanae in ejus integritate sita est, quippe corpore male constituto etiam animi vigor immunitur, & homo ad actiones mentis obeundas ineptior redditur. Quanti sanitatis commodum sit astimandum per pulchre prodidit dexterimus morum magister, Siracides cap. XXX, v. 15. Sanitas, inquiens, & bona constitutio quolibet auro melior est & corpus validum immensis opibus. Potior est mors, quam vita acerba aut invalestdo permanens. Quapropter omnes ho-

mines egregiam hanc sanitatis tuendæ scientiam sibi habere debent commendatissimam. Licet autem hæc scientia longe sit nobilissima & utilissima, temporum tamen fato accidit, ut per pauci reperiantur, qui corpus suum recte curare, omniq[ue] modo illud integrum conservare allaborant; quin potius pleraque hominum pars pro vario connatae pravitatis impulsu eas consestat res, quæ ad diminutionem sanitatis & ad morborum productionem, imo ad mortis accelerationem causam fatalem præbent. Proh dolor! nostra ætate in perisse medicorum scholis eo fere deventum est, ut vel parum vel nihil cogitent de corpore humano in suo vi-  
gore per salutaria diæta præcepta conservando & a morbis præservando, cum tamen maxima pars potestatis mediceæ in hoc unico præservationis negotio verletur. No-  
tum enim est, potestatem medici in depellendis a corpore morbis & morte averruncanda admodum esse circumci-  
sam & restrictam, quippe in morbis præsertim acutis spe-  
ctatoris tantum & ministri munere medicus fungitur, cu-  
jus adjumento quidem natura sibi adhuc constans pa-  
rumper sublevatur, quod tamen minime fit ipsa jam  
succumbente. O tempora! o mores, quibus lantam vili  
adeo pretio pendit! Reperias logiatros etiam fama  
celebres, qui tanquam fungi subito creverunt, & spe-  
ciem quandam magnæ eruditio[n]is præ se ferentes subi-  
to in altum, quanquam in casum generis humani,  
evecti sunt, qui ex vanâ persuasione diætam fere insuper  
habent, omnem fiduciam collocantes in suis pharmaciis  
vel medicamentosis spiritibus sale acri vel sulphure quo-  
dam metallico aut terra profusus fatua imprægnatis. Hæc  
ipsorum sunt arma, quibus corpus diu sanum, imo lon-  
gævum

gævum reddere satis jaſtabunde gloriantur. Pulchrum certe hoc est institutum! quæſtuosa ſane medicorum auro inhiantium molimina, quibus homines potius præparant ad morbos, ut iſpis poſtea non defint ægroti, quorum mortibus lucrum facere poſſint. Ea eſt jam temporum indeſes, ut derifui omnes ii exponantur, qui tum ad præſervandum, tum ad liberandum a morbis corpus maximam artem in diæteticis & naturæ convenientibus remediis collocant. Perspecto igitur insigni hoc circa fanitatis curam errore non potuimus, quin meliora edocti ex divinissimo illo mysteriorum facrorum codice, junctis ſimul ſalutaribus medicinæ ſobriae rationibus, diæteticam ſcientiam de meliori nota commendaremus. Prudentior ille jure meritoque cendendus eſt, qui ad hujus boni, sanitatis nimirum, poſſessionem acquirendam omnes animi vires intendit, & media ad hunc finem collineantia & neceſſario adhibenda eligit. Ut autem haec noſtra præcepta diætetica majorem obligationis vim in animis hominum habeant, non ab re fore viſum fuit, illam ex ſacro revelationis fonte depromere. Eſt enim Scriptura ſacra hac in parte ſumma philosophy, in qua plurima, quæ circa rerum non naturalium uſum & abuſum obſervanda ſunt, præclare annotata reperiuntur. Haec enim fons ille eſt misericordiae divinæ, ex quo tanquam ex rivo viventium aquarum omnes iſta dixitiae promanant, quarum uſus homines omni ex parte beatos redit. In hac delitescit arcana conſervandæ sanitatis methodus, quam qui adſequitur, ſecretum omnium maximum acquirit hacque ratione vitam quam diuſim ſanam & ab omnibus fere morbis immunem pro-

trahere poterit; in hac sanctissima præcepta continentur, quorum recto ac pio usu terrenæ non solum, sed & cœlestis illius tantopere a mortalibus expeditæ felicitatis fructum consequi datur. Quum igitur hæc materia tanta cum jucunditate atque utilitate sit conjuncta, eapropter iussu & manuductione Excellentissimi Dn. Præsidis, studiorum meorum Directoris ac Promotoris, quem cum Hippocrate parentum loco, cum quo vita communicanda sit, habendum esse duco, mecum in animo constitui DIÆTETICAM MEDICINAM EX SACRA SCRIPTURA speciminiis loco in Dissertatione præsenti exhibere. Quemadmodum vero hoc laboris sub divini Numinis favore adgressus, ita porro Deum ter Optimum Maximum veneror, velit benignissima sua gratia meis ulterioribus conatibus & meditationibus adesse, ut omnia vergant in sui nominis gloriam & proximi circa corporis sui tutelam errantis emendationem ac sanitatem.

## §. I.

Nte vero, quam ad ipsam diæticæ sacræ tractationem progrediamur, non alienum a scopo nostro erit, fundatum vitæ ac sanitatis, nec non mortis præmittere & explicare, quippe hoc intellecto minori cum difficultate diæticorum præceptorum, quæ huic superstruuntur, rationem veram perspectam habebimus. Quodsi veterum monumenta evolvimus, & ex iis reihujus dissolutionem expectamus, præter vocabula sesquipedalia & grande quid sonantia, que

quæ nec concipi nec explicari commode possunt , nihil  
quicquam inveniemus. Alius calidum quoddam inna-  
tum & humidum radicale , alius archeum , rursum alius  
naturam vel similem voculam causam vitæ ac sanitatis  
constituit,& hoc pacto unusquisque suam hac in re igno-  
rantiam involucro quodam literali abcondidit. Ve-  
rum excusandi sunt veterum hac in re errores , quippe  
accuracyori anatomæ studio substituti circulum sanguini-  
nis & humorum progressivum nesciebant. Nostro autem  
tempore , ubi ille ipse per solertissimum Harvæum de-  
tectus est , ubi deinceps multa , antiquiorum seculorum  
medicis prorsus incognita , in structura corporis nostri  
frequentiori ac diligentiori cadaverum humanorum  
ope cultri anatomici perscrutatione patefacta & in lu-  
cem prodita sunt , ubi insimul mathefeos studium ad al-  
tius fastigium evectum est: multo aliter jam philoso-  
phandum. Missa igitur faciamus veterum ratiocinia  
& verum fundamentum ex ipsa machinæ nostræ natura  
de promtum inquiramus. Exacta inter philosophos  
rationales res est , omnes actiones corporum in univer-  
sa rerum natura ex motu profluere , & nullum corpus sine  
motu ipsi naturaliter insito concipi posse , unde effectu-  
um vel phænomenorum naturalium rationes deducen-  
dæ , vel corporum qualitates explicandæ. Quod si igitur  
jam principium adæquatum & certam vitæ & sanitatis ma-  
chine nostræ corporeæ rationē reddere velim , omnino  
ista ex motu natura desumenda est. Quapropter non in-  
concinne hoc modo definiri potest vita ; quod nimurum  
sit motus sanguinis systolicus & diastolicus per cor &  
universam tum arteriarum , tum venarum per corpus  
disper-

dispersarum compagem, cui simul arctissime connexus est inde dependens solidarum partium tonus. Hęc sanguinis in circulum per corpus abiens progressio machinam nostram ex rebus corruptioni valde obnoxiiis conflatam & mixtam ab actu putredinis egregie defendit. Quamdiu itaque hic motus fluidorum ac tonus solidorum aliquo modo viget, tamdiu vita præfens est: simulac vero hic motus ac tonus partium plenarie cessat, ut non amplius possit revocari, mors adebet & cadaver hominem nostrae omnimoda abolitione consistit.

### §. II.

Deducta sic, quam compendiosissime fieri potuit, vitæ ac mortis causa, jam facillimum erit sanitatis definitiōnem exinde formare. Quando hic motus sanguinis systolicus ac diastolicus partiumque tonus vitalis, liber, æquabilis & moderatus est, quod cognosci potest ex pulsu, habitu corporis externo, actionibus corporis nostri præsertim naturalibus, quæ in secretione rerum similarium & excretione dissimilariū versantur, recte & secundum regulam ac ordinem naturæ se habentibus, homo optimo jure sanus est dicendus. Sanitas itaque dependet a circulo sanguinis & humorum libero, æquali & moderato per omnes corporis partes. Quoniam vero hic circulus sanguinis non nisi ex effectibus in corpore humano se exerentibus, nempe secretionis potissimum & excretionis negotio cognosci & dijudicari potest, hinc optima ratione sanitatis definitio ab his effectibus circuli sanguinis & toni partium petitur. Dicimus idcirco, sanitatem esse conveniens omnium actionum tam

tam corporis, quam animi exercitium a vegeto, moderato & æquabili sanguinis circulo indeque dependentibus secretionibus & excretionibus debitiss proficiscens.

## §. III.

Hicce suppositis queritur, quænam sint illæ res, qua corpus nostrum & conservandi in debito sanitatis vigore, & variis morbis vel morti quoque illud extatius ponendi facultate polleant pro diverso eorum vel legitimo vel illegitimo usu? Si veterum hic responsonem nostram facimus, dicendum, eas comprehendunt sub nomine sex rerum non naturalium, quibus homo, quamvis ejus essentiam non constituant, continuo opus habet ad conservandam vitam ac sanitatem, sive, ut medicis loquimur, ad liberum ac æquabilem humorum circuitum. Sunt vero hæ ipsæ maxime omnium animi conditio & universalis ille aëris & ætheris fons, qui omnium animantium necessarius potus est: sunt alimenta solida æque ac fluida: sunt denique actiones ipsius hominis nunquam non necessariae, quæ ad motum, quietem, somnum, vigilias, confuetudinem vitaque genus pertinent. Quicunque itaque harum rerum usum ira moderatur, ut circulus sanguinis liber & æquabilis maneat: is veram sanitatis tuendæ ac vita longæ methodum & saluberissimas diæteticas regulas obtinet, quæ unice circulo sanguinis proportionato innituntur. Quemadmodum enim affabre construeti automatis motus ab elasticitate vi vel pondere alterius corporis dependet: ita etiam sapientissime fabricatae machinae nostræ a corruptione conservatio atque regularis & ordinatus motionum successus a rebus memoratis externis earumque sub prudenti

B

denti

denti regimine usu unice profluit atque perficitur. Hæc ipsa enim sunt, quæ corpori nostro mobilitatis seu motus materiam sufficientem ac bona temperie gaudentem largiuntur. Hæc ipsa sunt, quæ vigorem, motum, actionem partibus solidis & que ac fluidis contribuunt. Quare sole meridiano clarius hinc eluescit, utique in harum rerum justo usu primarium vitæ ac sanitatis nostræ momentum esse constitutum. Hanc ob causam unica nostra cura eo tendat, ut leges sanitatis, quæ nobis convenientem earum rerum usum prescribunt, diligentissime observemus.

#### §. IV.

Cum igitur sacra scriptura nos optime hac de re instruat, & viam simul monstrat tutissimam, qua incidentes & sanitatis exoptatum commodum & vitæ terminum a Deo machinæ nostræ naturaliter concessum ex voto adsequi optimè possumus: hinc jam toti in id erimus defixi, ut methodum hanc sacræ diæteticæ medicinæ, qualibet perspicuitate, evolvamus & publico usui suscipimus. Primum vero occupati erimus circa affectus animi eorumque regimen, quibus deinceps ordine subiungemus, quæ circa aerem, alimenta & potulenta, somnum & vigiliam, nec non motus exercitium in facris literis præcepta diætética occurront.

#### §. V.

Primum jam nostræ tractationis caput ab affectibus animi exordimur. Quaritur hic ante omnia: anima potestatem quandam exercere possit in corpus humanum? Si accuratori scrutinio hanc rem examinamus, ingenue fateamur necesse est, vitam & sanitatem no-

nostram in rerum natura vix infensiorem habere potest, qui tam potenter tamque celeriter economiae nostrae vitalis motus turbare, imo penitus subvertere possit, præterquam animam nostram. Etsi enim nullam potentiam absolutam in actiones sic dictas vitales eas pro lubitu moderandi & dirigendi habeat, attamen has ipsas variis modis perturbare potest ob arctissimam connectionem, quæ ipsi cum corpore intercedit. Testatur experientia, quantos motus irregulares variis affectus animi, desideria anxiæ, firmiores impressiones producant, sique verum fateri debemus, plurima pars hominum a grotat & perit magis animi, quam corporis morbis. Id quod si maxime experientur, qui lecto agrotantium adstant, ubi convenienti facto examine circa morborum originem, animi gravem affectionem morbo ansam praebuisse subinde observant. Satis pro compendio dictum putamus; Nolumus enim hac vice in hujus questionis deductione, cum rem complectatur per se manifestam, esse prolixiores, sed potius nos accingimus ad ipsam expoundendam dictam, quæ circa hos affectus homini sanitatis amanti attendenda est.

## §. VI.

Videamus igitur, quid commodi ex affectuum animi contempneratione in corpus humanum redundet. Quodsi sacram scripturam hac de re consulamus, ea ad sanitatem & vitam longam egregie commendat hilaritatem atque tranquillitatem mentis. Sapientissimus Regum Salomo Proverb. cap. XV. v. 13. animus laetus, inquit, bene afficit vulnus. Idem v. 15. Cap. XV. ita pergit: leti animo sunt convivium juge: quasi

diceret: qui latus est animo & sua sorte contentus, melius habet, quam si semper lautissimis epulis frueretur. Ulterius *Prov. cap. XVII. v. 22.* ita fatur: *animus latus bene medicinam facit.* i.e. optimæ medicinæ loco est, qua corpus a morbis & morte præmatura conservatur. Quid quod multis in locis hilarem animum vitam quotidianam jucundam adpellat. His adstipulantur verba *Ecclesiastici. cap. XXX. v. 21.* *lætitia cordis est vita ipsa hominis & exultatio productus dies vita.* Ex hisce omnibus sequentem regulam diæteticam elicere possumus: *Qui cunque sanitatis suæ curam habere cupit, is hilari atque tranquillo animo sit necesse est.* Ejusmodi enim mentis compositio placidum & pacatum in spiritibus animalibus excitat motum, qualis autem spirituum motus, talis motus cordis & arteriarum tonusque partium, & qualis partium tonus motusque cordis & arteriarum, talis sanguinis circulatio, & qualis hujus circulatio, talis sanitas. Quapropter mens tranquilla summum hominis in hac vita bonum judicari debet, utpote mens in tali statu posita non tantum corpori, sed ratiocinationi quoque quam optime inservit & ingenii vim acuit. Experienciam fide certissima constat, animo placido & affectibus vacuo præditos omnium fere morborum & ipsorum quoque epidemicorum contagio inficientium tela plerumque effugere, ac, si forte ab iis petantur, non modo non succumbere, sed ceteris omnibus etiam feliciter evadere. Neque minus in morbis periculo non plamit tranquilla habitudine concipi posse praxi clinica quotidie edocemur.

§. VII.

## §. VII.

Hoc tamen loco maxime notari velim, nos sub lætitia vel tranquillitatis animi conceptu non comprehendere gaudium repentinum atque effusum: nam cum hoc celerrima animi sit motio, eam quoque irregulares spirituum & sanguinis motiones excipient necesse est, unde occasionem magnarum turbarum morbosarum, imo mortis repentinæ præbere possunt; qualia exempla hinc inde apud auctores medicos consignata existant.

## §. VIII.

Sicuti autem sacer codex animi constitutionem hilarem atque tranquillam ad incorruptam sanitatem ac vitam longam suadet atque commendat: ita e contrario tristitiam, quæ lætitia adversatur, & animi angor, curia ac cruciatus est, omnibus & singulis dissuadet. Pertinet huc, quæ a Salomone sapienter dicta sunt Proverb. cap. XVI. v. 22. *Spiritus fractus exsiccat ossa.* item Cap. XV. & B. dolore animi spiritus frangitur. item Cap. XV. sicuti tinea vestimento & vermis ligno: ita tristitia in viro nocet cordi. Sagacissimus morum præceptor Syracides Cap. XXX. Ps. 21 unumquemque hominem a tristitia his verbis avocare studet, ne tradas tristitiae animum tuum neque angas te ipsum confilio. Dilige animum tuum & consolare cor tuum tristitiamque procul a te pelle. Rationem, cur fugienda sit tristitia v. 26. subiungit, sollicitudo, inquiens, ante tempus senectutem adducit. Quicunque igitur sanitatis curam habet, is mæorem ac tristitiam quovis modo fugiat. Quemadmodum enim lætitia blanda ac moderata spiritus recreat, excitat & sanguinis circulum promptum

ac liberum reddit: ita moestitia spiritus obtundit, deprimit, & sanguinis circuitum impeditorem facit, sanguinemque a naturali sua temperie, ad spisitudinem lentam redigit. Et sicuti in laetitia sanguis undique aequaliter circumfertur, & ipsa adeo cutis vascula capillaria minima pervadit, unde rubore ameno facies coloratur: sic contrario modo in tristitia sanguinis calor & spiritus a circumferentia ad centrum magis intro compelluntur, & habitus corporis spasmodice constringitur, unde in tristibus pallor faciei, cutis constrictio, transpiratio remissior, pulsus exilis ac latus, appetitus immunitus, somnus terroris plenus & virium langor subinde observantur. Probe haec cognovit Fernelius, qui ita hanc in rem differit: *tristitia spiritus obtenebrat, ingenium hebetat, rationem impedit, judicium obscurat, spirituascentiam deprimit & melancholicas desperabundas cogitationes efficit, quibus ex causis corpus pallore defoedatur, ignavia torpet, atrophia liquecit & in marcorem aliosque frigidos morbos ruit.* In praxi attentiori observare licet mœrorem profundum ac pertinacem ad febres mali moris melanochoram, insaniam, malum hypochondriacum, calculum, renum, quam vetrica, phthisin, hecticam, cachexiam, aliosque morbos frequentissime disponere. Nam ab eiusmodi continuo mœrore sanguini fluiditas demittitur, unde spissescit, stagnationes sebit & hinc inde obstrunctiones parit, a quo dictorum malorum origo fere unice dependet. De mœrore profundiore pulchra quoque extant apud Hippocratem Lib. II. de morbis. *Cura in viscribus veluti spina videtur atque illa pungit.* Et alibi: ubi haec, inquit, *anxietas animum corripuit, lucem atque bonitatem*

*nes fugit & tenebras amat & timor invadit, aridus est & ad contactum dolet & expavescit & terriculamena & somnia horrenda videntur. Hæc sunt præcipua symptomata, quibus mœrore sepulti contorquentur & continuo discruciantur, ut quandoque etiam eo insania procedant, ut præ vita tædio sibi ipsis vim faciant & in laqueo solamen suæ miseriae querantur. Patet exinde evidentissime, tristitiam & mœrorem maximum corporis & animi esse tormentum, unde sapientissime is rerum suarum & sanitatis agit, qui omnem mœrorem procul ablegat.*

**§. IX.**

Eosdem fere effectus cum tristitia habet invidia, quæ ubi altius animo infidet, humanum consumit corpus, ut rubigo ferrum. Placeth hanc in rem allegare Ecclesiast. Cap. XXX. v. 25. ubi de invidia dicitur, quod minutat dies. Pari passu cum tristitia & invidia ambulat anxia in divitiis corradendis cura; unde idem Ecclesiast. Cap. XXXI. v. 1. ejus noxam, quam corpori humano infert graphice depingit, vigilie, inquiens, *divitiarum causa tate faciunt carnes & cura earum amovet somnum.* Huc pertinet quoque amor insanus, cuius vehementia fere contabuit Ammon. II. Samuel. Cap. XIII. Unusquisque ergo, qui sanitati studet ex præscripto sacræ scripturæ omni studio ab his vulgaribus & maxime turpibus affectibus, quales sunt invidia & avaritia, sibi temperet, neesse est.

**§. X.**

Restat adhuc aliis affectus corpori nocentissimus, qui ira nomine venire solet. De hac Ecclesiast. cap. XXX. v. 25. claris verbis pronuntiat, quod dies vite minuat.

Id-

Idecirco sanitatis cultori incumbit, ut iram ceu pestem corporis omni arte fugiat. In omni enim iracundia commotio fit spirituum & sanguinis extorsum a centro ad circumferentiam. Cum itaque in iracundia sanguis maximo cum impetu ad externum corporis habitum pellatur, hinc evenit, ut sub iræ æstu infletur facies, oculi appearant feroce, in partibus sentiatur tremor & respiratio cum pulsu adauictior fiat, ipsaque mens a statu suo deiciatur. Et ab hac vehementiori sanguinis in ira commotione plurima mala corpori humano accidunt. Praeclera est observatio *Hildani obf. 18. cent. I.* ubi arteria vulnerata, postea probe sanata, iterum rupta fuit ab ira, quæ disruptio a nulla alia causa facta fuit, quam a sanguinis impulsu majori & tunicarum arteriæ expansione fortiori. In praxi attentiori observamus, iram maxima polle re vi in consuetis & dispositis enormes sanguinis excretiones sive per nares sive per venas ani sive per ureum in feminis prioritandi. In senibus & sanguine abundantibus vehemens ira apoplexiā non raro producit, si quando enim sanguis cum impetu ruit ad caput, vena a nimia congestione ejus distenduntur ac perrumpuntur, unde sanguinis fit extravasatio lethalis. In plurimis post paroxysmum iracundiae in latere dextro sub scrobiculo cordis mox sentitur dolor quidam constrictivus cum oris amaritie, quod symptoma ortum habet a motu bilis impetuoso ejusque in intestina effusione, hinc etiam dependet inclinatio ad vomitum & diarrhoea, unde *Hildanus Cent. VII. obf. 18.* annotavit: alvum subdueat fuisse ab ira ac si pharmacum adsumtum fuisset? Morbi inflammatorii, ut sunt pleuritides, peripneumoniae, inflam-

Inflammatio hepatis, ventriculi & intestinorum, item erysipelas subinde ab ira ortum traxisse obseruantur. Hi morbi potissimum eveniunt in iis, quorum sanguis impurus ac spissus est, & tubuli corporis angusti, quapropter in arterias ab iræ affectu adactus sanguis, si viscosus & tenax sit, non eadem celeritate per venas reverti potest, unde saepius in tubulosa partium solidarum vel viscerum substantia subsistit & inflammatorias ejusmodi passiones efficit. Quicunque igitur ex prescripro scripturæ iram coercet, is sanitati suæ optime consulit & corpus ab his morbis immune servat.

## §. XI.

Ordine jam progredimur ad aëris diætam. Nihil fanead sanitatem ac vitam tuendam plus confert, quam elementum illud commune aëris & ætheris fluidum, quo omnia animantia continuo opus habent, cuius secundum Hippocratem Lib. de statibus §. 6. ranta est necessitas, ut omnibus aliis abstineat homo, neque cibum sumat, neque potum, posse dies tres vel plures vivere: si vero spiritus via in corporis intercipientur, brevi tempore illi esse pereundum. Hoc certissimum est, aërem esse primarium corporis nostri quoad solidas & fluidas partes motus materiam ac instrumentum. Quo igitur purior est ac temperatior, eo magis ad sanitatem integre conservandam confert; et contrario vero, quo impurior & intemperatior, eo magis vitæ ac sanitati inimicus est. Sicut enim aër purior circulum sanguinis promovet, robur & tonum partium auget, transpirationi velificatur atque ingenio vim addit: ita impurior particulis heterogeneis, narcoticis & putredinosis maxime inquinatus circum sanguinis

C

tur.

turbat, robur partium infringit, perspirationem remo-  
ratur ingeniique vim obtundit. Unde talismodi in-  
temperatus aér ad morbos ex humorum stagnatione  
indeque contracta impuritate oriundos, item ad putri-  
das febres, imo ipsam pestem disponit. Et hanc ob-  
causam, ut quidem noltra est sententia, clementissi-  
mus rerum conservator Deus, pro singulari sua in homi-  
nes providentia permotus fuit, ut populo suo cautio-  
nem a rebus aërem inquinantibus serio injungeret. Qua-  
re Levit. XI. v. 35. omnia ea, quæ labi quadam forte  
aërem inficere possunt, 'ceu impura & inquinata pro-  
scriptis, eorumque usum plane interdixit. Cumpri-  
mis etiam hoc pertinere videntur, quæ de inspectione  
sacerdotali leprolorum Levit. Cap. XIII. v. 8. propo-  
nuntur. Lepra enim erat morbus summa ex corru-  
ptione humorum ortus, qui suam foeditatem vicinis  
corporibus infirmioribus præfertim communione aë-  
ris facilime adfricare potuit, unde tam sedula leproso-  
rum inspectio & custodia separata a cœtu hominum fuit  
inuncta. Levit. XIII. v. 46. Quicunque igitur aëris  
noxas evitare & sanitatem hoc modo integrum conser-  
vare nititur, is omni arte & studio loca suspecta ex præ-  
scripto sacræ scripturæ fugiat & commercium homi-  
num infectorum diligenter evitet. Optimum enī  
præservativum a morbis ex aëre impuro oriundis, imo  
ipsa peste in fuga & curatiōi contagii evitatioē con-  
sistit, ut gravissimorum medicorum est sententia.

## §. XII.

Ad alterum jam membrum nostri propositi pergi-  
mus, quod de cibo ac potu institutionem diäteticam  
sub-

subministrabit. Alimentorum & potulentorum maxima habenda est ratio, cum proximè ad vitæ ac sanitatis conservationem concurrant. Nullus enim homo sine cibo & potu vitam diu conservare, vel sano ac integrō corpore esse potest; siquidem ob continuas egestiones partium, motu sanguinis intestino resolutarum, quotidiana etiam ingestionē opus habemus, ut partes illæ motu sanguinis effetæ redditæ, ad consueta emunctoria delatae & foras protrusæ nova utilium succorum accessione reparentur, & sic corpus sub continuis egestionibus & ingestionibus in vigore actionum suarum adeoque in sanitatem conservetur. Quum autem esculenta & potu lenta tum ratione indolis & temperaturæ, tum etiam ratione facultatum & virtutis mirum inter se diffideant, & cum etiam magnus lubinde error circa adsumptionis quantitatem committatur: hinc omnino medicum & naturæ consultum oportet scire, quænam ex hisce tam ratione congrua vel incongrua sint, ut hoc pacto nostram a corpore avertere possit. Multa præclara huic fini accommodata hinc inde ex sacra scriptura depromi possunt, unde illa jam ordine percurrere & explicarea nimus est.

### §. XIII.

Quod attinet ad ciborum quantitatem, omnis repletio ex iis ceu naturæ corporis nostri inimica & morbis preferendis apta ex præscripto sacræ scripturæ profusa vitanda est. Notatu digna sunt, quæ hanc in rem affectat Ecclesiasticus Cap. XXXVII. v. 32. seqq. Ne esto insatiable omnibus deliciis, neque projectus esto ad escas. Nam

C 2

mul-

multis cibis adhæret morbus & insatiabilis voracitas maxime accedit ad cholera. Voracitate insaturabili multisunt mortui. Idem Cap. XXXI. v. 22. ita fatur: laboriosæ vigilie & cholere tormentaque adfunt viro insaturabili. Recte a Syracide ciborum nimia adsumptio & voracitas plurimorum morborum, speciatim vero cholerae, laboriosarum vigiliarum, terminum, imo ipsius adeo mortis causa statuitur. Nam quandocunque cibis varia presertim indolis majori in copia, quam par est, ventriculus oneratur, non modo ejus tonus & robur inde imminuitur, & chylus ob lymphæ gastricæ insuffientiam crudus, intemperatus ac intimorem cum sanguine mixtionem renuens separatur, sed etiam ingens colluvies acidorum, biliosorum, pituitosorum ac putrescentium humorum in primis viis a reliquis ciborum ibi diutius commorantibus colligitur, quæ omnia morborum causis jam dictis originem atque materiam præbent fertilissimam. Non inconcinne Fernelius in Patholog. Lib. I. Cap. XV. pag. 210. pernitosam admodum sentinam abdomen insaturabile appellat, quia omnium tum corporis, tum animi vitiorum fons & origo est, ut adeo verissimæ sint facetae illorum, qui intemperantiam medicorum nutricem adpellarunt. Hippocrates Sect. II. aph. 17. ita de ciborum intemperantia loquitur: ubi cibus præter naturam copiosus ingestus fuerit, morbum facit. Cuicunque ergo sanitas curæ est, si a nimia ciborum ingestione & voracitate abſtineat necesse est. Observent vero hanc diæticam regulam cumprimis imbecilliores, quorum in numero habendi ii, qui modo a morbo aliquo convaluerunt,

erant, qui enormes cum virium jaetura passi sunt haemorrhagias, & qui fame, vigilis immodicis ac labore emaciati sunt vel alia ratione vires amiserunt. Horum enim hac in parte excessus tanto sape nocumento est, quantum vix expectari poterat. Profecto inaumera sunt commoda, quæ ex accurata & moderata ciborum mensura in corpus nostrum redundant. Probe hoc videt Syracides, unde Cap. XXXI. v. 22. ita exclamat: *Quam suffici homini eruditio res modica! nam in cubili suo non apprehensum fannus sanus est, cum intestino mediocri surgit mane compos animæ suæ.*

## §. XIV.

Ulterius dietam circa alimenta persecuturis non incongrue queritur: quiam eibi & quales in usum trahendi? Quando facram Scripturam hac de re consolimus, commendatos hinc inde atque in usum vocatos fuisse temperatissimos & optimi succi cibos repemus. Ex caribus enim quadrupedum a Deo ipso conceduntur bovinæ, vitulinæ, agrinæ, hecдинæ, arietinæ, Levit. Cap. XI. v. 3. quiequid habet ungulam scissam & bifidatum est fissura angularum revocans ruminis cibum, ex quavis bestia illud comedens. Carnes harum bestiarum cum primis juniorum, omnium medicorum consensu, ejus sunt indolis, ut & facilius a menstruo ventriculi solvantur & bonum sanguinem ingenerent. Habent enim cum sanguine nostro exactam convenientiam, & temperatam gelatinam in se recondunt, quam coctione omnes dimitunt. Quid vero aliud est sanguis optime temperatus, quam gelatinosus fucus a continua in circulum translatione rubicundus redditus? Hac de causa verissimum

manet hoc assertum, quod dictorum animantium priorum præcipue carnes succique inde excoeti & julcula, quia gelatinam copiosam & temperatam præbent, ad corporis nutritionem & sanguinis restauracionem præ aliorum animantium carnibus optime inserviant.

## §. XV.

Ex volatilibus humano usui concessit summus rerum œconomus carnes columbarum, alaudarum, galilarum, perdicum, anserum, anatum & aliarum avium, quarum Levit. Cap. XI. non fit inhibitio. Hæ omnes & adhuc aliæ volatilium species eandem ob causam, quia succum temperatissimum & cum sanguine nostro convenientissimum fovent, in optimum nutrimentum corporis nostri cedunt.

## §. XVI.

Ad aliud genus ciborum nempe pisces nos convertimus. Horum usus Levit. Cap. XI. v. 9. commendatur his verbis: *hos comedatis ex omnibus, que sunt in aquis, omne quod habet pinnas & squamas in aquis tum per maria, tum in fluminibus, illa comedatis. conf. Deut. XII. 9.* Equidem non sine ratione elius piscium commendatur, nam propter facilorem solutionem & copiam partium humidarum, quibus abundant, uti ex destillatione eorum videre est, minime nocent, & quoniam non tam facile putrescant, quam quadrupedum vel avicularum carnes, hinc etiam absque nocimento in febribus, in morbis malignis ipsaque in peste ægrotis possunt concedi, ubi alias ab esu carnium maxime est abstinentum. Siquidem putredo, in qua malignitatis natura continetur, non parum harum usu promovetur, & humores jam-

iamtum corrupti ad majorem putredinem disponuntur; unde etiam evenit, ut natura ipsa in ejusmodi morbis sponte ab usu carnium abhorreat. Datur autem magna piscium differentia respectu aquarum, in quibus degunt, ex quibus illi sapidissimi sunt & saluberrimi, qui in fluviosis, ubi aqua levis & subtilis est ac rapidissimo cursu fertur, progignuntur: econtrario iis minus sapidi sunt minusque salubres, qui in aquis paludosis & stagnantibus capiuntur. Deinde etiam datur differentia inter ipsas piscium species, quidam enim durioris & compactioris, quidam mollioris & candidioris respectu carnis sunt indolis. Unde, si optio nobis detur, pisces omnium sapidissimi ac optimi pro uso seldeni sunt.

### §. XVII.

Alimentorum ex regno vegetabili usus est vetustissimus itemque innocentissimus, quippe herbæ, semina & fructus arborum paradisiacus ille cibus erant a Creatore sapientissimo Adamo in statu integritatis concessus, uti clarissimis verbis Genes. cap. I. v. 29. legitur, ubi scriptum extat: *præterea dixit Deus: ecce debetis vobis omnes herbas sementantes semen, quæ sunt in superficie totius terræ, omnesque arbores sementantes semen veræ ad comedendum erunt.* item cap. II. v. 16. de fructu quidem omnis arboris libere comedes. Herbæ & arborum fructus nutrimentum quidem adeo copiosum, ut carnes animantium, non suppeditant, interim tamen hoc verisimum est, illa succum præbere leviores, facile transeuntem & necessarium eumque optime temperata sanguinem gignere, ideoque ad vitam sanam atque

que longævam maximæ utilitatis esse, eam maxime obcausam, quia plethoram avertunt, quæ a cibis plenioris nutrimenti corpori ingenerata plurimorum morborum & ipsius etiam mortis maturioris causa esse potest. Majus vero nutrimentum præbent varii generis semina præsertim tritici, siliquinis, hordei & ex iis præparata. Est enim ea omnium seminum indoles, ut temperie optima gaudent, dum ex partibus terreis subtilioribus, mucidis & oleoso-sulphureis probe mixta sunt, unde cum aquo liquore cocta vel trita, eundem lacteo colore bene saturato imbuuntur. Ex his colligi facile potest, quare panis ex frumentorum generibus præparatus in optimorum nutrimentorum numero habeatur. Ex sola aqua & pane homo vivere potest, testante id Eclesiastico Cap. XXIX. v. 25. præcipua vitæ humanae sunt aqua & panis. Hinc etiam regius Psalmista pani virtutem confortantem & cordialem tribuit. Psalm. 104. v. 15. Huc pertinent quoque legumina, quorum genus quoddam Propheta Daniel cum sociis suis præ cibo regio expetavit, ut ipse testatur in prophetia sua Cap. I. v. 12. quo in loco nempe v. 15. simul indigitavit, quam bene usu hujus cibi eorum corpora nutrita fuerint, facies enim illorum inde apparuit elegans ut pinguium canne. Ex hisce jam omnibus, quæ de ciborum condicione ex sacris fontibus protulimus, hæc regula diætética consequitur: eligenda sunt alimenta corpori nostro congrua, temperata, quæ faciliter solvuntur & corpus transeunt.

### §. XVIII.

Antequam pedem ulterius proferamus hoc loco non

non incongrue queritur: an rationes medicæ firmiores dari possint, quod etius adipis Levit VII. v. 13. item carnis suillæ Levit. Cap. XI. v. 7. ut & sanguinis animalium Levit. Cap. XVII. v. 10. Act. Apost. Cap. XV. v. 29. nec non suffocati Lev. XVII. v. 17. Act. Cap. XV. v. 29. interdictus, sit infalubris ac noxius? Adipem quod attinet, ejusdem indoles noxia cognoscitur ex eo, quod vix in ventriculo dissolvatur & in alimentum cedat, sed ab acido in coagulum concrescat, plicis ventriculi & intestinorum cellulis adhaerecat, ubi ex diuturna mora corrumpitur & ructuum, fodæ, pathematum spasmodicorum ac dolorum occasionem præbet amplissimam. Notandum insimul hoc loco est, quod quo viscosiores & magis rancidæ ac vetustiores sint pinguedines, eo etiam pejoris sint indolis. Hanc ob rationem præser-tim ii, quorum primæ viæ acido copioso scatent, optimè sibi consulunt, quando ab esu omnis generis pinguedinum copiosiori penitus abstinent. Quare vero caro suilla sit noxia, majoris paulo difficultatis quæstio est, cum maximam habeat convenientiam cum sanguine humano & præterea gelatinam præbeat multo copiosiorem ipsa carne bovina vel ovina aut alia. Respondemus autem hic cum distinctione aliqua & dici-mus: carnem suillam minus nocere illis, qui eo parciore in quantitate utuntur & insuper corpus motu ac labore probe exercent, sed infirmioribus, iisque, qui corpus parum movent, non potest non magno esse no-cumento propter glutinosum, quo abundat, succum, hinc promte illius frequentiori usu emunctiorum tubuli obstruuntur, quibus obstructis plurimæ impuri-

D

ta-

tates in corpore accumulantr, quæ deinde variis cūtis vitiis & scorbuticis morbis occasiōnem subministrant. Optime igitur faciunt ii, qui cachectica sunt constitutionis & vitam degunt otiosam, si talis iodi carnis usum plane abdicant. Nunc videbimus etiam, quænam ratio medica dari possit de noxa efsus sanguinis interdicti. Quicunque sanguinis examen instituit, haud difficult negotio comperiet, eum ex particulis maxime putrescibilis confare. Elucescit id inter alia ex eo, quod sanguis e vena emissus statim coaguletur & rancorem contrahat. Quodsi igitur ejusmodi sanguis in cibum sumitur, facile in ventriculo corruptitur & chylum minus aptum suppeditat. Eadem est ratio suffocati. Nam quandocumque animal suffocatione perit, sanguis in vasis partium coagulatur & putredinis ceterioris causam præbet.

### §. XIX.

Hisce discussis pergimus ad potulenta. Diversa dantur potulentorum genera, hoc autem loco solūmodo ea recensere lubet, quæ naturæ nostræ maxime congrua sunt & quorum in ipsa sacra scriptura fit mentio. Primum igitur de aqua ejusque usu agemus, quem ex ipsa sacra scripture probaturus provoco ad *Num. Cap. XX.* ubi Iraëlitæ aquam postularunt a Deo per Mosen, quam etiam impetrarunt, cum Moses petram virga sua percuteret. Huc spectat locus *i. Reg. XVII.* ubi potus Eliæ fuit aqua e torrente. it. *Ecclesiastic. Cap. XXIX. v. 25.* ubi legitur: *principia vite humanae sunt aqua & panis.* Primævos homines & Patriarchas usque ad Noachi tempora aquæ potu usos fuisse, non obscure judicatur: nul-

nullibi enim ante tempora Noachi vini sit mentio, multoties vero aquæ. Ex hisce adductis satis manifestum videtur, quod jam inde ab antiquissimis temporibus usus aquæ fuerit cognitus & maximi aestimatus. Est itaque aqua potus omnium animantium communis & ad vitam ac sanitatem tuendam accommodatus. Hoc enim aqueum elementum maxime omnium ad constituendam sanguinis ac humorum vitalium texturam necessarium est. Aqua ad digestionem & excretionem succorum ex alimentis aptissima, hæc minimos corporis meatus quam expeditissime subit, unde ad interiores partium poros nutritum succum advehit, hæc quoque evchendis e corpore salino-sulphureis excrementitis partibus quam maxime idonea est, unde optimo jure medicina universalis præservativa nuncupari posset: non enim facile datur hac ipsa nobilius a morbis præservativum. Qui solo aquæ potu utuntur, iij multo robustiores & vivaciores sunt, quam qui aliis liquoribus aut cerevisis delectantur. Aquæ potus dentes firmiores & candidiores & gingivas lanas conservat. Pulchra est observatio, quam *Miscell. Natur. Cariofor. Dec. II. A. III. obs. 15.* exhibent de fene centum & viginti annorum, cui adhuc integra dentitio infirmitate obtigit, quique nullam aliam longævitatis causam proferre potuit, quam quod per omne vitæ tempus aquæ potum in deliciis habuerit. De Andrea Tiraquelle, Juris Consulto, auctores referunt, quod solo aquæ potu contentus senex obierit. Inter causas longævitatis Ægyptiorum aquæ Nilotica usus non infima fuit. Diversa vero aquarum ratione bonitatis est indoles,

D 2

opti-

optimæ sunt pellucidæ, leves, particulis heterogeneis calcareis non referæ, quæ epotæ in hypochondriis fluctuationem non concitant, bene per urinam & transpirationem secedunt, & sic excretoria aperta conservant.

### §. XX.

Post aquam merito quoque vini mentio est injicienda, cuius inventor & primus cultor Noachus celebratur ex *Genes. Cap. IX. v. 20.* unde patet, ejus usum itidem esse antiquissimum. *Syracidus* ejus usum moderatum egregie commendat *Cap. XXX. v. 30.* tanquam vita est vinum hominibus, si moderate illud biberis. Lætificans cor hominis virtus ipsi tribuitur *Psalm. 104. v. 15.* Denique in omni incerore extollit ejus usum *Ecclesiastic. Cap. XXXI. v. 32.* exultationem cordis lætitiamque animi efficit vinum potam tempestive, quod satis est, & ibidem v. 33. acerbam animam facit vinum multum potum irritationem & adversa causa. Et *Cap. XL. v. 20.* vinum & musica lætitiam adferunt cordi, conf. *Proverb. Salom. Cap. XXX. v. 6. 7.* date potum inebriantem perituro & vinum amaris animo. Bibat, ut obliviouscatur paupertatis suæ & molestie sua non sit memor amplius. Sane vinum temperatum non nimis acidum, nec vaporosum inter remedia nobiliora totam naturam corroborantia facile principem obtinet locum, siquidem eximie circulum languinis promovet, ventriculo tonum ac robur largitur, corpus perspirabile reddit, & vires collapsas mirum in modum erigit. Hanc ob causam Paulus Timotheo suo infirmitate ventriculi laboranti vini usum præscribit in *Epist. I. ad Timoth. Cap. V. v. 23.* Et postea subjungit: *aqua ne bibas, sed*

*sed vini modicum bibe propter stomachum tuum & proper morbos tuos assiduos.* Quantas enim vires vi-  
num generosum in anorexia seu appetitus prostatone  
& digestionis vitiis corrigendis poshdeat, vix satis de-  
pradicari potest, quotidiana id testante experientia. Po-  
tissimum autem vinum iis conduit, qui temperaturæ  
corporis sunt frigidioris ac humidioris, qui vita sedenta-  
riæ addicti sunt & corpus parum movent, calorem e-  
nim ipsis addit & spiritualcentiam auget, unde etiam  
vinum bonæ notæ optimum affectus hypochondriaci  
& aliorum frigidorum morborum præservativum ju-  
dicatur.

### §. XXI.

Quemadmodum vero sacra Scriptura moderatio-  
rem vini usum concedit & commendat: ita vicissim ejus  
abusum & immoderatum in corpus ingurgitationem  
summopere reprehendit: hinc ebrietas multis in locis  
N. T. seu vitiorum genitrix & seductrix a via salutis ab  
Apostolis severè inhibetur. Sapientissimus Salomo in  
*Proverb. Cap. XXIII. v. 29.* & seqq. genium vinosorum &  
ebrietatis studiosorum cum incommodis tam corporis,  
quam animi, quæ ex vini nimia ingurgitatione proveni-  
unt, graphicè depingit, dum ait: *cui vae? cui eheu? cui*  
*contentiones? cui loquacitas? cui vulnera impune? cui ru-*  
*bor oculorum est? immorantibus apud vinum, eantibus adin-*  
*vestigandum vinum mistum.* Ne respicito vinum, quum ru-  
bescit: quum exhibet in poculo colorem suum, indeſmenter  
moveatur rectissime: tandem velut ſerpens mordebit & velut  
hemorrhois punget. Oculi tui respicient alienas & animus

tius eloquetur perversitates. Et eris, ut qui jacet in medio mari & ut, qui jacet in corona carceris. Ecclesiastic Cap. XIX. v. t. de vino profert: quod intelligentes seducat. item Ecclesiastic Cap. XXXI. Ps. XXVIII. in vino, ne agas virum: nam vinum, multos perdidit: in eodem Cap. V. v. 34. auget animum ebrietatis imprudentis ad confessionem: minuit robur & acquirit vulnera. Quantas noxas vina præfertim intemperata vel nimis dulcia, vel acida vel spirituosa vel sulphur vaporosum olentia, si immodice ingurgitentur, corpori humano inferant, etiam vulgus non ignorat. Dulcia enim vina plethoram augent & morbis ab ea pendentibus ansam præbent. Que vero acidum fovent passionibus ex acido & viscido nutrimentum præbent & speciatim calculorum, hysterici ac hypochondriaci mali, podagræ generationem in dispolitis corporibus promovent. Deinceps spirituosa vina, durn mirifice sanguinem & humores exagitant, in juvenibus in primis & cholericæ temperaturæ hominibus calorem adaugent & bilem acrem ingenerant, unde ad hæmorrhagias, febres ardentes, biliolas, spasmos, dolores maxime arthriticos, quandoque etiam convulsiones inducendas sunt aptissima. Ea denique vina, quæ sulphure vaporoso scatent, nervis infesta sunt & capit innocent, unde morbis capitis, quales sunt torpor, somnolentia, cephalalgia, paralysis & epilepsia; viam sternunt. Huc satis appolite transferri possunt, que de vino differit *Valleriola Lib. II. Enarrationum Medicinalium Enarrat.* IV. vinum varia in corpus incommoda pro sui natura, etate, potentia, adsumptionis modo infert. Nam vinoſa immodice sumta caput tentant, nervos implent, fluxiones excitant, mem-

tem labefaciant, vires corporis universas dissolvunt; aquose minus alunt, dulcia obstruant, crassa nigraque difficile permeanit diuine in ventre morantur: vetera vehementer calefaciunt: nova turbant & fluctuationem miram concitant. Acida ledunt ventrem nervisque sunt inimica. Quicunque igitur sanitatis suæ curam habet, is immoderatum vini usum ceu corruptelam animi & corporis abhorreat, eoque modico nec excessiva qualitate donato utatur.

## §. XXII.

A potulentis ad motus diætam transfibimus & considerabimus quid commodi ex illius convenienti administratione in vitam & sanitatem humanam redundet. Sacra Scriptura motus exercitium, quod fit per laborem, eum somnum a morbis præservativum agnoscit, uti vide re est ex Ecclesiastic. Cap. XXXI. v. 25. verba textus ita se habent: *In omnibus operibus tuis esto promptus & ulla infirmitas non obveniet tibi.* Hinc etiam Paulus II. Thessal. Cap. III. v. 10. his, qui nolunt operari ciborum adsumptionem diffuadet his verbis: *quod si quis non velit operari, neque comedere.* Magnifica etiam præstantissimorum medicorum hinc inde prostant commendationes motus corporis, qui fit per labores & variis aliis modis. Ex hisce placet allegare Hippocr. Lib. de Diæta §. 1. ubi inquit: *homo edens sanus esse non potest, nisi etiam laboret.* Contrarias enim inter se vires habent cibi & labores: verum inter se mixti conseruant ad sanitatem. Sanctorius in medicina stomatica ait: *si homines tempore debito exercitio ac labore ute- rentur, carere possent multis medicis ac medicamentis.* Nihil tam idoneum est ad circulum sanguinis promoven- dum & humores a particulis impuris liberandos, quam

mo-

motus externus muscularorum; siquidem quandoconque musculi, qui genuina sunt motus instrumenta pro animæ imperio ope subtilis elasticæ sanguinis & nervi fluidi vivida ac mobilissima expansione contrahuntur, accedit, ut strictura quadam agilissima non modo vasa sanguinis progressivum motum expeditiorem animentur, sed & ipso hoc motu attritivo particulæ crassiores attenuentur & dividantur. Hoc vero modo intestina motio valde increscit, fluiditas, spirituascentia, calor augetur, ut adeo transpiratio & superflui humidi evaporatione magno cum corporis levamine perficiatur. Hanc ob causam homines laboribus dediti non modo robustioris & sanioris sunt corporis, sed & vitam longevam ut plurimum degunt. Nemo facile ex iis, qui diligenter laboribus incumbunt, calculi, podagræ, arthritidis, affectionis hypochondriacæ, cachexiæ, scorbuti, hydropis malum incurret: contra vero, qui defidiæ se mancipant vel vita sedentariæ corpus addicunt, frequentissime his morbis patent ac exponuntur, præferim si genio indulgent & laute vivunt. Hoc enim vivendi more sanguis in vasis accumulatur & ob segniorrem perspirationem impuritatem contrahit, spissitudinem lentam acquirit, in visceribus stagnationem subdit, eorumque vasa minima opplet & obstruit, siveque diætorum malorum causam præbet fecundisiam. Optime itaque sibi consulunt, qui secundum præceptum Dei Genes. III. v. 9. in sudore vultus cibis suis vescuntur.

§. XXIII.

## §. XXIII.

Quemadmodum vero moderatio in cunctis rebus naturæ corporis nostri est amicissima: ita motus exercitium, præsertim id, quod per labores fit, non excessivum ac immoderatum, neque continuum, sed moderatum cum alterna quiete interposita sit necesse est. Utrumque enim horum & motus parcitas, & ejusdem frequentia male afficit corpus illudque mirum quantum debilitat, dum priori modo excretiones retardantur, posteriori vero plus juste adaugentur. Quare semper, ubi sanitatis scopus nobis propositus est, quies ac motus alternari & se invicem excipere debent. Et hæc inter eas rationes, quæ Deum permoverant, ut sex in hebdomade dies operibus faciendis destinaret, septimo vero a laboribus omnimodam quietem praeciperet, non infima forte fuerit.

## §. XXIV.

Ad somnum & vigiliam quod attinet, non minus hic, quam aliis in rebus ad vitam & sanitatem corporis necessariis prudentissimum regimen requiritur. Sacra Scriptuta uolum somni labore defatigatis vires addere confirmat *Ecclesiast. cap. V. v. 12.* ubi verba textus ita se habent: *dulcis est somnus illius, qui servit.* Hisce verbis peritissimus morum magister Syracides somnum iis cum primis, quorum vires per diem laboribus plurimis magna ex parte exhaustæ sunt, esse dulcem, id est, vires corporis reficientem adserit. Evidem somnus ad vitæ & sanitatis conservacionem cuivis homini summe necessarius est: nullus enim homo absque ejus usu diu salvus ac incolmis esse potest. Hic corpori delassato vires collapsas restituit illudque ad consuetos labores subeundos aptius reddit, imo etiam, quod majorem adhuc admirationem meretur, ipsum animum

E

ve.

vegetat eumque ad functiones suas perficiendas alacriorem  
ac promptiorem efficit.

### §. XXV.

Sicuti autem somnus moderatus magnopere conducit corpori nostro & vires refarcit: ita immoderatus damno eidem est & vires potius imminuit, quippe non modo cassis gravitatem & torporem infert, sed & omnibus partibus corporis languorem inducit, sive agilitatem menti & corpori subtrahit, quia influxum fluidi subtilissimi & mobilissimi in nervos & solidas partes, quae motum efficiunt, nimium impedit, unde spirituscentia & fluiditas sanguinis perit, humores spissescunt, incrassantur & ad chronicos morbos sit dispositio. Hinc ob tantam noxam, quam immoderatus somni usus corpori humano adferit, divisa est Salomo in Proverb. Cap. VI. v. 4. nimium somnum diffudat his verbis: ne concedito somnum ocalis tuis aut dormitionem palpebris tuis: quod dictum de somno intemperato omnino intelligendum, cum moderatus nihil vitii habeat & homini ad vitam & sanitatem sit necesarius.

### §. XXVI.

Quodsi igitur somnus moderatus ad vitam & sanitatem est accommodatissimus, facile inde consequitur, vigilias, quarum paucis adhuc attingenda consideratio est, immodicas & longius protractas ingentem noxam corpori nostro adferre. Ex nimis enim vigiliis coctio perturbatur, facies pallorem induit, corpus macie conficitur, oculi fiunt concavi cum austero & tristi vultu. Pulcherrius hoc quadrans locus comprehenditur Ecclesiast. Cap. XXXI. v. 1. vigiliae divisiarum causa tabefacint carnes. Ex hisce jam omnibus, quae de somno ac vigilia paucis commentatis sumus, sequens elicetur regula diætética: nempe sanitati

tati suæ illum optime consulere, qui omnem excessum ac defectum circa somnum evitat, eoque ipso, quantum ad vires resarcendas sufficit, moderate utitur.

## §. XXVII.

Hisce ad finem perduci pauula de dieta circa venis usum amittere visum fuit. Ut vero venus legitima & moderata nulli culpæ est obnoxia, cum ipsius Dei prvidentissimum sit institutum, eum in finem, ut genus hummanum nova subinde generatione conservaretur & hominum numerus multiplicaretur: ita eadem præpostere & immoderate exercita plurimorum malorum, imo mortis maturioris causa esse potest, quod ex sacra scriptura luculentiter satis demonstrabimus. Cum Salomo in suis Proverb. Cap. VII. veris coloribus ingenium meretricis impudentissime depinxisset, sapientiae cultori commercium cum ejusmodi obsecena adultera v. 25. severe interdit eam obcaulam, *quia nempe*, ut v. 27. verba se habent, *vie ad sepulchram sunt viæ ad domum ejus descendentes ad penetralia mortis*. Præterquam enim, quod talis modi facinus sit abominabile coram Deo & poenam mortis æternæ mereatur, nihil etiam magis sanitati corporis infensum est; vires enim destruit & sanguinem spirituascentia orbat veneris usus immodicus, & subtrahit sic sero rōscido spirituoso, quo semper constat, quod ad robur partium accedere debebat, necesse est, ut vires labefactentur & suo robore priventur membra. Majora vero adhuc mala sunt, quæ ex impuro concubitu corpori accidentunt, quod Ecclesiastic. Cap. XIX. v. 2. satis evidenter docetur, ubi haec verbaleguntur: *qui agglutinatur scortis, est audax, tineac & vermes hereditario jure possidebunt illum & aresiet traductus in exemplum infamie maxime.* Hoc loco luis venereæ natura

ac indoles non obscure exprimitur, hæc enim in summa humorum præsertim lymphæ putredine & corporis defecatione ac contabescientia consistit. conf. Ecclef. Cap. XXXII. v. 21, 22. Nolumus hac in re esse prolixiores. Qui sanitatis curam habet, is monito *Syracidae florem atatus sue conservabit sanum, nec robur suum mereetricibus dabit.*

### §. XXVIII.

Restat adhuc magni momenti diætetica regula expōnenda, quam Ecclesiasticus Cap. XXXVII. nobis tradit, ubi vers. 30. & 31. ita dicit: *fili, dum vivis, periculum fac animi tui ac vide quid sit malum, ac ne des illi. Non enim omnia omnibus conferunt.* His verbis divinus Syracides vult, ut probe nostrum corpus exploremus, quid ipsi in individuo damno vel nocumento sit, aquibus rebus male vel bene se habeat, multum enim differre corpora a corporibus & his sæpe nocere, quæ alii profint ac vicissim. Evidem auctore Celsi & ipfa experientia teste sanis omnia sunt sanata; sed cum naturarum maxima sit diversitas & unum corpus præ altero robore excellat, hinc alimentorum salubritas atque insalubritas non in genere more vulgi, sed secundum vires & naturam corporum in specie æstimanda est. Quicunque sanissimum corpus habent, illi non facile ab intemperatiorem ferre possunt, eorum enim ventriculus, sufficieni robore ad illum subigendum instructus est, & fanguinis motu vivido omnia supervacanea debite excurrentur. Ast qui imbecillius habent corpus, a copiofioribus æque ac intemperatiöribus alimentis lèdantur necessaria est, quoniam eorum ventriculus ad digestionem & intimation adsumtorum resolutionem est impar, nec fanguinis motus adeo vividus existit, ut superfluitates debito modo ex-

expellere posit. Hoc itaque verissimum est assertum, neque alimenta, neque medicamenta salubria aut noxia vocari posse per se & absolute; neque secundum suam instantiam virtutem certum effectum semper exserere, sed prout corpus ratione roboris solidorum & viarum ac humorum conditione dispositum inveniunt, tum demum pro-sicuum aut perniciosum effectum edere. Hoc cum ita se habeat, optime sibi consulit iste, cui vita & sanitas curæ cordique est, si corporis sui naturam & peculiarem dispositionem accuratisime inquirat & insuper solerter observet, quænam naturæ suæ amica, quænam inimica sint. Hoc enim pacto, si felicit ad usum, quæ professe sèpius observavit, & rejicit, quæ nocere & vini naturæ suæ inferre animadvertisit, optima & constanti sanitati perfici poterit. Profecto si cauta vietus ratione iterentur homines & usu probe explorarent, a quo potu vel cibo se juvari laedive sentirent, in paucissimis vel plane non medicorum opera egerent, quoad sanarent.

### §. XXIX.

Coronidis loco non possumus non omnibus & singulis, quibus sanitas vita que longævitas curæ cordique est, sinceram pietatem ceu irrefragabile Diæteticæ hujus nostræ fulcrum etiam atque etiam commendare. Profecto Theologia, quatenus in praxi consistit, nec in nudis tantum speculationibus acquiescit, optimo jure corporis medicina nuncupari potest: adeoque non sine causa etiam naturali in sacro codice probis ac in timore Dei ambulantibus vitae longævitas est promissa, improbis autem & in voluptatum eceno se voluntantibus vite brevitas in poenæ locum indicata. Sic divinus Salomo de præceptis sapientiae dicit: *Proverb. Cap. III. v. 2. longitudinem dierum annosam*

E 3

que

que vitam cum pace adjicient tibi. Idem Cap. IX. v. 27. ita fatur: reverentia Iehovæ adjicit dies, anni vero improborum decurantur Conf. Proverb. Cap. III. v. 16. item Cap. IV. v. 22. Cap. IX. v. 10. n. Pariter Ecclesiasticus Cap. I. & n. hæc verba habet: reverentia Domini delectatura est cor & inditura letitiam gaudiumque & longevitatem. Divus Paulus in Epistola priori ad Timotheum: pietas, inquit, ad omnia utilis est; ut quæ promissionem habeat vita præsentis ac future. Nam quandoconque homo terminum voluptatis suæ Deum constituit, omnes actiones suas ita moderatur, ut mentem sanam conservet in corpore sano & hac ratione particeps reddatur perfectionum hujus & futuræ vitae. Qui veræ pietati pectus suum consecravit ac per preces ac fidem magnum illud spiritus Sancti donum acquisivit, animo est tranquillo & omnium commotionum ab objectis externis vacuo, latatur in Domino omnitempore, nec ulla re acerba contristatur, omnis generis maledicta, contumelias & injurias patienter tolerat, laboribus suis solerter incumbit: cibo, potu, somno aliisque rebus ad vitam necessariis utitur in conservacionem corporis, nec curam habet carnis suæ ad concupiscentiam. Et hac methodo ingenuus pietatis cultor fructum vitae longæ ac incolumis optime consequtur. Si experientiam consulimus, plurima possunt allegari exempla, quod Theologi & pii viri, ad senectutem grandavam per venerint vel sola mentis tranquilla constitutione. Qui cunque autem a recto pietatis tramite discedunt & sanctissima vita præcepta negligunt, impetu pravarum cupiditatum abrepti, nulla in re facile moderationem admittunt, variis affectionum fluctibus agitantur & rebus sic dictis non naturalibus, quarum rectus usus vita ac sanitati amicissimus est, nefarie & contra sanam rationem abutuntur: quippe pax

pax & tranquillitas mentis non est apud improbos; inglu-  
viei dediti sunt, potationes s̄p̄ius in seram usque noctem  
protrahunt, somnolentiae indulgent & Baccho ac Veneri  
tantum non assiduo litant. Et isthac vivendi mo-  
re insanum hocce hominum genus complures morbosas  
sibi accersit motiones & vitæ filum, quod naturæ ordine ac  
cursu longius potuisset producere, temerè ac in optimo  
sepe ætatis flore abrumpit. Quicunque igitur sanam ac  
longam vitam magni æstimat, is totis animi viribus eo an-  
nitatur oportet, ut in possessionem divinæ gratiæ perveni-  
at, qua duce & cooperatrice a viis salutis æque terrenæ ac  
celestis nunquam aberrabimus. Subsistit hic finemque  
meæ diæteticæ sacræ impono Deoque summo pro conceffa  
gratia gloriam ac laudes cano, humillime precatus, velit  
porro studia vitamque meam dirigere, ut cedant semper in  
nominis sui honorem proximique salutem. Lectorem  
vero benevolum majorem in modum rogo, ut singula h̄c  
tradita æquo suscipiat animo, & primos hos cona-  
tus bene consulat.

---

CLARISSIMO ET ORNATISSIMO  
**DN. TROPPANNER,**

S. P. D.  
**PRÆSES.**

**I**n sacro codice inexhaustum secretioris sapientiæ thesaurum es-  
se reconditum, stabilis & inconclusa omnis ævi prudentum &  
in signum pietate virorum sententia fuit. Quemadmodum enim  
hæc celestis doctrina ab immenso sapientiæ fonte, qui amor infinitus  
est, promanavit, ita saluberrima etiam precepta complectitur,  
qua ad instaurandam generis humani felicitatem, cum in hac vita,  
cum in beatoriæ ævo, unice omnino collineant. Sacra nimurum scri-  
ptura vitæ quasi gubernatrix & genuinæ virtutis magistra est,  
qua mentem celestis prosapiae peccati infelicitam contagio & ab omni-

veri-

51

veritate alienatam fideliter instruit, eique non modo expeditam ostendit viam, qua ad eternam felicitatem adspirare posse, sed prestantissimas quoque proponit leges, ad vitam bene beatique agendum, hominumque ferociam refrænandam. Quamobrem confidens affirmare ausim, meliorem & omnibus numeris perfectam juris, moralium & politices scientiam hanc altunde, quam ex his sacris pandectis condi posse & adornari. Mira est rerum libertas, mira legum & exemplorum copia, quæ moralis ac civili doctrina cum insigni fructu accommodari possunt. Quemadmodum autem animi corporisque integritas omnium rerum, quem pendi habentur, pretium excedit, cui quippe seu fundamento oderationem habuit diuina benignitas, dum in transuersum adamvitæ rationem gravissimis subinde admonitionibus castigat, & multas, quæ vitæ ac sanitati egregie patrocinantur, regulas commendat, quæ passim in sacris literis præcipue tamen in Ecclesiaste, Psalmis Davidis, et Syracle cum laetissime reperiuntur. Fecisti itaque laudabiliter, Nobilissime Troppanegger, quod in praefiti dissertatione omnes regulas ac præcepta, quæ ad sanitatem spectant, inque sacro libro, qui Deum autorem habet, hinc inde sparsa ac diffusa sunt, quasi in unum colligere atque ex iis Diæteticam hanc medicinam adornare studio plane insigni laboraveris. Non sumus tibi ferri possunt. Gratulor itaque Tibi etiam atque etiam non modo de præclaro hoc labore, ejusq; fructu longe amplissimo, sed etiò de insigne ingenii docilitate Tui: siquidem intra duorum annorum spatium apud nos singulari industria tales fecisti progressus, ut ex te exemplum capere possint alii, qui voluntaribus tempus prodiguant, vel in inanem collocant. Gratulor deinde etiam Excellenissimo Parenti Tuo, fautori & amico mihi inde a multis annis perspectissimo, defilio magne spei, qui nihil antiquius habet, quam ut peritissimi parentis vestigia legit. Gratulor denique & mihi de genuino artis filio, qui eleganti hac dissertatione planum ac testatum facit, quantos intra paucum tempus profectus coperit. Non dubito, fore, ut, si artis studium, qua cœpisti industria, ulterius prosequaris, insignem Tibi non modo eruditonem comparare, sed ipsam quoq; paternæ & vir-

(o)

**S**Er Mensch soll an Verstand von andern Creaturen,  
Die auf der Erden sind, weit unterschieden seyn.  
Wol! aber wie? Nicht so, daß man die besten Spuren  
Davon bey diesen sieht? ob jener zwar allein  
Ihn als was eigenes zu seinem Wesen zehlet,  
Da es doch hieran ihm, wies scheint, am meisten fehlet.

Denn was heißt man Vernunft? Nicht dis, wenn man die Sachen,  
Suns im Wege stehn, geschickt zu heben weiß?  
Und die uns dienlich sind, ihm kan zu Ruhe machen?  
Wertheilet, die ihr könnt, wen soll man nun den Preis,  
Wenn man noch streiten will, für andern zu geschenken?  
Nicht denen, die sich hier am wenigsten vergehen?

Was unsre Kunst betrifft vorjedt nur zu betrachten,  
Sieht nicht ein Thier gar bald, was es erhalten kan?  
Der Mensch hingegen muß beym Überfluss verschmachten,  
Er will dem Tod entgehn, und muß am ersten dran.  
Wie kommt es? Soll man hier denn die Natur verklagen?  
Als wolte sie ihm bloß, was heilsam ist, versagen.

Es fehlt an Mitteln nicht, wodurch des Menschen Leben  
Im Stand erhalten wird. Es hat des Höchsten Hand.  
Derselben uns genug an jedem Ort gegeben,  
Wie aber sind sie denn so wenigen bekant?  
Das macht's, man sucht, was was schon vor der Nasen lieget,  
Und ist mit dem, was leicht und simpel, nicht vergnüget.

Man sucht durch Kunst und Müh dasselbe zu ergründen,  
Was uns doch die Natur am allerbesten lehrt.  
Der will ohn allen Danck den Stein der Weisen finden,  
Und denkt nicht, ob er auch der Narren Leben mehrt?  
Der will durch Pfund und Loth stets seinen Zustand messen,  
Wie leichte aber ist im Rechnen was vergessen?

Heißt das verständig seyn? Wol dem der ohn die Dinge  
Zum Zweck gelangen kan. Ein Kluger braucht sie nicht,  
Allein die Wahrheit scheint zu schlecht und zu geringe,  
Drum tappt und sieht man am hellen Mittags-Licht.

F

Herr

Zett Troppanneger ist vorsichtiger gewesen;  
Er hat, was nützlich ist, wol wissen auszulesen.

Es kan uns dessen Schrift davon ein mehrers zeigen;  
Sie schleicht den Kern der Kunst in wenig Bogen ein.  
Die Freundschaft heissen mich von deren Schönheit schweigen;  
Es würde auch mein Lob von schlechten Nachdruck seyn.  
Und was gebraucht es denn? Sein Fleiß, Verstand und Wissen  
Sind Sachen, welche Hall und Dresden rühmen müssen.

P. GERIKE.

Vondal:

**G**eh folte, Theurer Freund, auch in meine Feder schärfest,  
Damit ich Deinen Fleiß genugsam könt entwerffen,  
Allein da Deine Schrift denselben deutlich zeigt,  
So ißt am rathsamsten, daß solche stille schweigt.  
Dein munter Geist, Dein Fleiß, den Du bisher geführet,  
Wird ja in Überfluss auf jedem Blat gespühret:  
Der seine Gaben so, wie Du, zu brauchen weiß,  
Wird auch mit Recht gelobt und ihm gebühret Preis.  
Du hast ein doppelt Werk zu zeigen auserwehlet,  
Denn Du berührst zuerst, was die Moral erziehet,  
Hernach betrachtest Du das Werk nach Deinen Stand,  
Warum dies ist vor gut und dies vor böß erkandt:  
Und endlich weisstu gar vernünftig vorzuschreiben,  
Wie man auf dieser Welt kan stets gesund verbleiben,  
Wenn nemlich die Diät genauer wird bedacht,  
Und nicht, wie insgemein auf grobe Art veracht.  
Gewiß dies ist ein Stück, das grossen Nutzen bringet,  
Du, Du verdienest wohl, daß man dir Lieder singet,  
Deswegen stellen sich mit Wünschen viele ein,  
Ich habe nicht gewollt hierin der Lezte seyn.  
Allein da Höhere so viele Wünsche schicken,  
Woraus man Deinen Glanz zur Gnige kan erblicken,  
So wird mein schlechtes Blat in Wahrheit wenig thun,  
Zu lesen wirstu doch dasselbige geruhn.

Ein

Ein treuer Wunsch, Mein Freund, soll noch das Ende machen,  
Der Himmel gebe Glück zu allen deinen Sachen,  
Dass Du, so bald Du hast Dein Studium vollführt,  
Den Doctor-Hut erlangst, der Dir schon jetzt gebührt.

Mit diesen schlechten Zeilen wolle dem Herrn Re-  
spondenti ergebenst gratuliren ein denselben  
ergebner Freund und Dinge

G. E. HERMANN.

---

POLITISSIMO ET EGREGIE DOCTO AUTORI,  
AMICO IN PAUCIS COLENDO,

S. P. D.

CHRISTIANUS AUGUSTUS LICHTENHAHN.

**E**X quo patuit, Amice, consilium mibi tuum, quod de excū-  
dendo specimine hoc academico tibi jam diu sedid, impensis  
amavi lechissimi, quo te faurix natura dotavit, ingenii felicita-  
tem, que in exquirienda hujus dissertationis materia mirum  
quantum tibi velificata est. Bene enim & ex more tuo præclare  
mibi agere videris, quod materiam circumspiciens, in qua labor-  
ius cum laude versari posset, quamlibet affluente rerum uberta-  
te circumfusus, laudabiliter tamen delestu velut ex silva quadam eam  
imprimis delibaveris, que cum fertili & opimo ingenio tuo val-  
de accommodata est, tum interiori etiam sibi dignitate excellit,  
multisque aliis inducit caliginem. Profecto digna est res perso-  
na tua, que laxiorem arenam tibi aperit, in qua habitoris in-  
genii robur ac nervos confidenter periclitari potes. Dignares,  
que alta indagine & eo quæstori studio excutiatur, quo magis  
divini oraculi suffragiis suffulta, & arctiori assinitate medicæ  
arti devincta est. Qui enim ad sanitatis leges compostam vitæ  
rationem principem ac palmariam medicine partem, vitæque  
laius proferenda sacram quasi anchoram ducunt, ne illi satis  
acute & apprime sapienter mibi judicant. Quamobrem cordata vi-  
taque parca antiquitas severiori lege circumscriptum vitæ cul-

etum magno semper habuit in pretio, eumque in sanitate custodienda impendio multum valere existimavit. Sed est ea seculi nostri, quod bona frugi jam dudum decoxit, labes nullo lomento detergenda, ut, quemadmodum in sc̄ēvos & effigios mores projectum est, ita nobilissimam hanc artis partem nullo prorsus in numero habeat. Atque hinc est, quod mitis & clemens haec medicina ex illo fastigio, quo priscis temporibus stabant, plane dejecta ac turbata sit, & nostra etate pristinæ dignitatis sue vix umbram referat. Quare videntur mihi primas laudes ferre, qui ingloriae & inhonorablei hujus discipline patrocinium rite suscipiunt, eamque a situ & squalore preclare vindicant. Non itaque laureolam, ut vetus sermo est, ex mustaceo queris, Amice, sed potius ingens fecisti opera pretium, quod animum ad eum laborem expediendum appuleris, ex quo haud exigua laus Tibi despontata est. Egregie profecto declarasti, Te magni Preceptoris pressus sequi vestigia, quippe qui ipse orbem ac deferat hujus disciplina præcipuus tutor ac vindex est. Quid igitur tibi faciam, Amice, rem tam bene & ordine gerentii? Visne, ut solenne illud sophos Tibi applaudam? vis, ut palnam tribuam dissertationi Tuae, qua nihil esse potest limatus? aut panubium laude vebam ampliori? Velle, ut velles, Amice; facerem, credas, labentii animo, & quidem plena manu. Sed, si bene Te novi, non Suffenus es, qui immodice de Te sentias. Neque ego ausim fraudem facere amicitia, qua ut mera ac pura est, ita fucum & blandientis stililencinaria prorsus restituit. Nihil itaque mihi relictum est, nisi ut mactum Te esse jubeam Tua indole, spemque ingrediar amplissimam, fore, ut, quam primi conatus tam bene cesserint, qui sequuturi sunt, optime exeant. Maximus labor tibi jam desudatus est, jamque res bene habet, quoniam metam instare vides. Ad hanc ergo forti contendere gradu, ita non modo spem de Te conceptam rite implebis, sed etiam Paternarum laudum cernes hereditatem. Vale, Amice Desideratissime, meque, quod facis,  
ama.

¶ (c) ¶

**ULB Halle**  
003 340 317

3







42.  
DISSE<sup>T</sup>RATI<sup>O</sup> MEDICA  
DE  
**DIÆTETICA  
SACRÆ SCRIPTU-  
RÆ MEDICINA,**  
*QUAM*  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
**DOMINO CAROLO,**  
BORUSSIAE PRINCIPE, MARCHIONE BRAN-  
DENBURGICO, CETERA  
SUB PRÆSIDIO,  
**DN. FRIDERICI HOFFMANNI,**  
COLLEGII MEDICI h. t. DECANI,  
publico Eruditorum examini submittit  
AUCTOR ET RESPONDENS,  
**CHRISTIAN GOTTLIEB TROPPANNER,**  
DRESD. MISN.  
*Ad diem*      *An. M DCCXIX.*  

---

*HALÆ MAGDEBURGICÆ,  
Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typ.*

